

U. q. 17, 8



40

Q. D. B. V.
DISPUTATIO
JURIDICO-POLITICA
De
REPUBLICA
IN GENERE ET IN
SPECIE CONSI-
DERATA.

Quam
D. T. O. M. A.
Autoritate & Consensu
*Magnifici ac Nobilissimi Jctorum ordinis in flo-
rentissima LL. nutrice Salana*

P R Æ S I D E
V I R O


Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo
DN. JOHAN - VOLK. Bechman/
J. U. DOCTORE in Academia Jenensi celeberrimo,
Patrono ac Præceptore summo honoris & observantiæ cultu
ætatem prosequendo

Publicæ disquisitioni sistit
JOHANNES CHRISTIANUS LEEST,
Schöningensis Saxo
Autor & Respondens.

In Auditorio Jctorum
Ad d. Januarii horis consvetis.

J E N Æ.
è Typographéo JOHANNIS NISII
Anno M DC LIV.





GENEROSISSIMO ATQVE
PERILLUSTRI
DOMINO
DOMINO JOHANNI
CHRISTOPHORO
Königsmarck.

COMITI IN Westerwick & Steegholm/ DY-
NASTÆ IN Rotenburg & Neuhaus/ REGIÆ SUECO-
RUM MAJESTATIS CONSILIARIO, EJUSQVE SUPREMO
REI MILITARIS IN GERMANIA PRÆFACTO, ET GU-
BERNATORI IN BREMIENSIIUM ET VER-
DENSIIUM DUCATU &c.
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

UT ET

GENEROSO AC MAXIME STRENUO
V I R O

FRIDERICO à Wildenstein/
SERENISSIMÆ PRINCIPIS ANNÆ SOPHIÆ NATÆ
BRANDENBURGICÆ, DUCIS BRUNSVICENSIIUM
AC LUNEBURGENSIIUM CONSILIARIO
INTIMO.

PATRONO AC PROMOTORI SUO SUMMO.
SALUTEM & FELICITATEM.

F*Lumen illud eloquentiæ M. T. Cicero PERILLUSTRIS. AC*
GENEROSISSIME COMES ut & GENEROSE AC MAXI-
ME STRENUE VIR, bonum Imperantem descripturus ex libb.
Patonis de Republ. loco à simili sic incipit: Ut gubernatori cur-
sus

sus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sic moderatori Reipubl. beata civium vita proposita esse debet, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. Hac Ciceronis verba COMES PERILLUSTRIS ut & GENEROSE VIR sub pectore versanti mihi ansam dedere, quamobrem materiam de Republ. & ejus moderatoribus selegerim eamque pro virili explicare constituerim. Cum enim secundum Oratoris verba Respubl. non semper administratur, sed saepenumero experientia contrarium doceat, ita ut non civium vitam beatam sed sui ipsius salutem sibi habeant Reipublicae moderatores propositam, nec ut subjecti salvi, sed ut ipsi sua curent, opibus abundant & libertate fruantur, intendant. Idcirco mens mea, dum modo hanc modo illam Respubl. pro optima haberi vidit, in diversa abiit querens ex certis ac probatis autoribus rectam & veram Rerumpubl. distinctionem & divisionem. Invenit autem praecipue apud Aristotelem, Arniseum & Conringium, non in omnibus Rebuspubl. civium vitam beatam (ut loquebatur antea Cicero) propositam sibi habere ejus moderatores, sed in quibusdam suum ipsius emolumentum, in quibusdam autem subditorum respicere utilitatem. Perlectis ita ac mecum perponderatis horum verbis, ne in illis quidem acquiescere potui, sed cum aliorum etiam de Rebuspubl. ejusque vel bonis vel malis administratoribus sententias audiendi flagrarem desiderio, materiam hanc utilem & nobilem jamjam tractaturam thesibus brevibus inclusi eamque publicae & placidae eruditorum ventilationi subicere constitui. Sicut autem moris olim erat, ut novo in-eunte anno alter alterum, munere aliquo si non magno tamen exiguo prout uniuscujusque ratio admittebat, bearet, ita ego quoque, cum morem istum, & hodie obtinere scirem non aurum aut ebur Indicum VESTRAE PERILLUSTRI GENEROSITATI, ut & TIBI GENEROSE VIR, sed exercitium hoc Academicum ut magnis studiorum meorum Patronis ac Promotoribus offero ac STRENÆ loco dedico, non quod illud dignum sit beneficiis vestris, quae in me exsisterunt & adhuc exstant maximis, sed ut submissionis ac obedientiae meae sincerissimum pignus VOBIS redderem, frontem hujus disputationis meae NOMINIBUS VESTRIS cohonestare volui, debui. His itaque me meaque studia VOBIS supplex commendo



*summa animi submissione orans & obtestans ut me & studia mea, non
solum clementer fovere sed etiam promovere & juvare non dedigne-
mini. Hoc impetrato uberrimum me hujus in hac re impensi laboris
fructum retulisse gloriabor. Deus Ter Opt. Max. omnis boni maxi-
mus Compensator PERILLUSTREM AC GENEROSISSI-
MUM COMITEM cum conjugē & prole splendidissima ut & GE-
NEROSUM ac MAXIME STRENUM VIRUM cum
conjugē lectissima Nestorios annos sospitem ac incolumem ad nominis
sui gloriam, Ecclesie & Reipubl. emolumentum tueatur, propaget &
conservet. Dabam JENÆ Januarii MDC LIV.*

Illustrissimæ Vestræ Generositati

UT ET

Generosæ tuæ serenitati

Subjctissimus atque devotissimus

JOHANNES CHRISTIANUS *Leestl*
Autor & Respondens.

Σω





Σὺν τῷ Θεῷ

PRÆLOQUIUM.



Ntequam rem ipsam aggrediar, non absre mihi facturus videor, si paucis præmittam an aliqua detur Respubl. & si detur, in quotu plici sensu vox illa sumatur. Olim nullas exstitisse Respul. multi somniant. Fuerunt enim aliqui, qui propter frigus & aëris injurias homines sibi domus primum fabricasse & interse convenisse tradiderunt. In qua opinione perspicuè fuit *Ovidius l. 1. Metamorph.*

Tunc primum siccis aer fervoribus ustus

Canduit, & ventis glacies adstricta pependit.

Tunc primū subiere domos: domus antra fuerunt

Et densi frutices & junctæ cortice virgæ.

Quod idem *Diodorus Siculus l. 1. Bibliothec.* scribit sentitque *Plato quoque in Politico*, qui toto Saturni seculo (quod & beatissimum & felicissimum fuisse putat) nullas fuisse Respubl. & urbes contendit. Sed quomodo homines absque Respubl. absque Politia esse potuerunt, cum tanta semper fuerit hominum nequitia, ut nunquam simul conservari rebusque communiter sine ullo ordine uti potuerint. Suasit igitur recta ratio exegitque salus publica ut constituerentur & qui superioribus aut virtute præstantioribus obtemperarent & qui obtemperantiū utilitatem non solūm quærerent, verūm etiam promo-

• A 3

verent



verent & custodirent. Propter salutem publicam, ut quisque sua retineret & aliena fugeret institutas esse Respubl. etiam testis est *Cicero 2. off.* quando dicit: Hanc enim ob causam maximè ut sua tenerentur, Respublica civitatesque constitutæ sunt, nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiæ rerum suarum urbium præsidia quærebant. Rempubl. vocat Philosoph⁹ alibi ordinem eorum qui civitatem inhabitant *3. pol. c. 1. Videatur & Arniseus 4. pol. 1. 4. pol. 11. vocatur vita civitatis.*

Rempublicam dari ac sine ea societatem humanam conservari nullatenus posse jam jam probavimus, nunc paucissimis etiam variam Reip. significationem attingere officii erit. Et invenimus apud Aristotelem tripliciter hanc vocem sumi. 1. ut universè sumatur pro qualibet ordinatione Magistratus summi, quando nempe Resp. vel mixta vel simplex esse dicitur, item cum vel unius, vel paucorum aut etiam plurium Respub. vocatur. In arctiore significatione usurpatur, quando mixtionem Olygarchiæ & Democratiæ interpretamur. Arctissimè autem cum significatur illa forma, in qua populus sibi arrogat supremam dignitatem & Majestatem. Potest etiam adjici & quarta acceptio satis usitata, qua Resp. vocatur & est ipsa civitas suis administrandi legibus informata. De omnibus hisce quatuor acceptio- nibus hac disputatione agere non est nostri instituti, de prima & tertia & postrema maximè nobis sermo erit. Neque n. propositum nobis est de mixtis Rerump. formis multa loqui, sed de simplicibus nonnulla, extremis enim rectè quantum fieri poterit expositis, de mediis judicium ferre non erit admodum difficile. Longiori-
bus

ribus igitur prætermisfis ambagibus ad rem ipsam devenio & quidem ad Reip. in genere & in specie considerationem. In hâc autem, quo cum fructu fiat, quinque erunt observanda. 1. Definitio, quid sit Resp. 2. Definitionis illius explicatio, 3. Reip. Divisio. 4. Reipubl. specierum enumeratio & explicatio & tandem hodierni Imperii Romani status descriptio.

Th. I.

Primo loco, ut paulo antea dixi, venit consideranda Reip. definitio, extat hæc & quidem perfecta *apud Arist. 3. Pol. 6.* ubi dicitur. ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἀλλῶν ἀρχῶν καὶ μάλιστ᾽ ἧς κυρίας πάντων τῶν συμφέροντων. Ἐνεκα Respubl est ordo civitatis cum aliorum Magistratum tum præcipuè illius, qui summam habet potestatem utilitatis gratia. Brevius dixit *Danæus 1. Pol. c. 2.* Quod sit regimen cætus cujusvis legibus inter se societati, sed *Aristoteles* apertius & distinctius in quonâ illud regimen consistat, posuit. Sic *4. Pol. 1.* vocat etiâ ordinem civitatis & Magistratum cum dicit. Πολιτεία ἐστὶ τάξις τῶν πόλεων ἢ καὶ τῶν ἀρχῶν, ἵνα τρόπον νεπέμνηται καὶ τὸ κύριον τῆς πολιτείας καὶ τὸ τέλος ἑκάστης ἧς κοινωνίας ἐστὶ. Resp. est ordo in civitatibus circa Magistratus, quo pacto distribui debeant & quid præcipuum in civitate & quid sit finis cujusque communitatis.

Th. II.

Ex his definitionibus obiter deducimus non esse pro Rep. habendam, quæ non sit sui juris & superioris alicujus imperium agnoscat. Sic multæ civitates Germanicæ non possunt dici liberæ. Licet enim Jure suo municipali utantur, tamen quia potestas summa non est penes ipsas, idcirco Resp. integræ propriè dici non merentur,



rentur, quia destitutæ sunt capite, ut ea parte in qua Remp. totam ferè decumbere scribit Aristoteles. Quamdiu n. corporis membra quamvis rectè disposita & capiti subjecta non possunt se venditare pro toto corpore sed tantum parte, ita etiam Resp. caput h. e. Magistratum superiorem agnoscens, non potest dici integra propriè & perfecta, sed tantum pars illius Reipubl. cui subjecta est.

Th. III.

Pede prolato ad secundum quod annotandum erat pergimus, vocabatur autem paullo antea definitionis explicatio. Occurrit in ea primò genus, quod non est multitudo ut sentit *Bodinus l. 1. de Respubl. 1.* nec coetus ut vult *Keckermann. in præcogn. pol.* sed vocatur Ordo seu *τάξις* quòd non omnes eodem modo interpretantur. Alii enim per institutionum ut *Camerarius 4. Pol. c. 1.* alii per ordinationem *Thomas 3. Pol. cap. 4.* *Lambinus ibidem cap. 6.* *Gregorius Tholosanus 1. de Republ. c. 1. n. 13.* alii per descriptionem interpretantur *Giphanius 4. polit. cap. 1.* Quia verò Respublica est quoddam per se subsistens & statum ac quietem, hæc verò vocabula motum ac productionem significant, melior censenda est sententia eorum, qui Rempubli- cam per ordinem definiunt, in quorum numero est etiam *Giphanius, Casus, Victorius, Daneus l. 1. polit. c. 1. alii.*

Th. IV.

Subiectum in definitione est Civitas, quod in hac disciplina domui respondet, & ceu materia Rempubli- cam ut formam recipit, ideo autem apponitur, quia Ge- nus per subiectum suum & cœteras differentia partes coarctandum fuit. Aristoteles quoque, quia non omnis
ordo



ordo Rempubl. constituit, differentiam adjecit & quidem ex essentia Reipubl. depromptam, quod sit nempe inter parentes & imperantes ordo, dependens à summa potestate seu Majestate. Ea enim est præcipua Reipubl. pars, ex cujus mutatione mutatur tota Respubl. Mutata igitur illâ præcipuâ Reip. parte seu suprema potestatis conditione (*Aristoteles vocat πολιτεία*) statim Monarchiam in Aristocratiam aut ex formâ bonâ in corruptâ transire necesse est. Additur porro finis Reipubl. qui vocatur utilitas eorum Magistratum tum præcipuè illius qui summam habet potestatem. Est autem utilitas in Republica duplex, communis vel privata. Magistamen utilitas ea est quæ est communis quàm ea quæ est privata utilitas. Cujus igitur Reipubl. finis est utilitas communis, illa censetur optima, quæ autem Respubl. pro fine habet utilitatem propriam, illa pro pessima habenda est. Probi namque Magistratus, ut Cato dicere solebat, præ cura publicarum rerum obliviscuntur privatarum *Plato in Catone majore. Valerius Publicola* tam communi utilitati deditus fuit, ut etiam, dum ætatem Reipublicæ impendisset & postea mortuus esset, nihil de privatis sui bonis faceret reliquum, sed de publico efferretur. *Liv. l. 2. Plutar. in Publ.* De Pertinace refert Herodianus, quod cum plurima omnium administrasset, fuerit tamen omnium pauperrimus: Nulla igitur est integra, nulla perfecta ac bona Reipubl. in qua cives nequeant quã sibi perfinierunt finem consequi, id est in qua prohibeantur communibus Reipubl. commodis frui, verba sunt *Henningi Arnisei in tractatu suo de Reipubl. in genere.* Et *Danaus pol. Christ. lib. 1. cap. 111.* utilitatis in hominum coetibus & adjuvandis & conservan-

B

dis



dis magna semper vis fuit, semperque futura est, qua sublatâ nulla vel fiet societas hominum, vel facta diu permanebit.

Th. V.

Ex fine igitur aut benè aut improbè constitutam Rempubl. dignosci liquet, cum Respubl. ad finem ordinentur & ex usu bonitatem vel malitiam acquirant. Nos tamen, cum dicimus ex fine cognosci bonitatem vel malitiam Reipubl., non facimus cum Bodino, qui sic concludit, si formas Rerumpubl. bonorum ac malorum finibus ac virtutibus aut vitiis metimur, infinitas esse comperimus *2. de Rep. c. 1.* Sed multò magis ipsum cum Montecat. *ad text. 43. schol. l. 3. pol. temerarium appellamus.* Errat autem Bodinus tum quia Aristotelis mens est modos tantum non formas Rerumpubl. dividere, tum quia fines ex virtute & vitio existentes non sunt infiniti, sed est unus finis optimus τὸ εὐλαὸς δίκαιον ex quo æstimatur optima Republic. & hinc oppositus pravus τὸ σφέλπερον μόνον τῶν ἀρχόντων ex quo æstimatur pessima Henningus Arniseus tractatu suo de fine Reipubl. *sect. 3.*

Th. VI.

Diximus th. præcedenti: Ex fine benè aut improbè constitutam Rempubl. cognosci posse, quod Thomas etiam de divisione Rerumpubl. essentiali vult intellectū quando *comment. l. 5. c. 3. inquit:* Alia ratio est regiminis, quod ordinatur ad opulentiam & ejus quod ordinatur ad libertatem quæ est finis potentiæ multorum. Et ideò necesse est, quod ubicunque aliqui dominantur propter divitias, sive sunt plures, sive pauciores, quod ibi sit
sta-

status paucorum, & ubi dominantur pauperes, ibi sit status multorum. In hac opinione est etiam *Picc. gr. 10. c. 8.* Numerus in Rempubl. est aliquid ex eventu & præter essentiam ordinis. Id autem ex quo præsertim oritur ordinis varietas, est finis & conditio gubernantium aspirantium ad finem. *Hæc Piccolini.* sed minùs rectè. Nos enim cum Aristotele divisionem Rerumpubl. essentialem à numero imperantium rectè peti omnino asserimus, sic nec divitiæ, paupertas aut aliæ accidentariæ qualitates Rerumpubl. essentialem constituunt differentiam, sed numerus Imperantium, qui Arist. vocatur ordo Magistratum & præcipuè illius, qui summam potestatem habet *3. Pol. 6.* Sola igitur variatio in numero personarum variat speciem juris. Et hoc declarari potest exemplo gubernationis Domesticæ ex sententiâ ipsius Aristotelis *8. Ethic. 11.* si enim unus præsit familiæ, aliud regiminis genus statuit, quam si maritus & uxor simul, aut fratres præsent ex æquò nulla facta mentione divitiarum & inopiæ, quas & per se planum est nihil ad distinctionem Juris domestici conferre verba sunt *Aristoteli d. tr. de divis. Rerumpubl. sect. 4.*

Th. VII.

Inter alias etiam Reipubl. divisiones non est & illa negligenda, quando Respublica alia dicitur simplex, alia mixta. Simplex Respubl. est, ubi Majestas vel residet penes unum ut in Regno & Tyrannide, vel cum est penes uno plures indivisim ut fit in Politia, Aristocratia, Olygarchia & Democratia. Mixta Respubl. vocatur, cum Majestas residet penes uno plures divisim. Sic imperium Democratia Olygarchicum est imperium mix-

B 2

tum



tum ex Oligarchia & Democratia, Aristocratico-Monarchicum imperium ex Monarchia & Aristocratia mixtum.

Tb. VIII.

Porro & ultimò dividitur etiam Resp. in rectam & corruptam, quam divisionem ex fine desumi antea in th. V. diximus. Est autem recta, ubi ὁ εἷς ἢ οἱ ὀλίγοι ἢ οἱ πολλοὶ πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἄρχουσι, i. e. unus vel pauci vel multi ad communem utilitatem, imperant, ut habet Aristot. 3. Pol. 7. hujusmodi sunt ex simplicibus Monarchia seu Regnum, Aristocratia & Politia. Corrupta Respubl. est, ubi πρὸς τὸ ἴδιον συμφέρον ἢ τῶν ἑνῶν, ἢ τῶν ὀλίγων, ἢ τῆς πλείους h. e. ad privatam utilitatem vel unius, vel paucorum vel multitudinis gubernatio fit. Arist. loc. cit. Hujusmodi sunt Tyrannis, Olygarchia & Democratia ut habet *Philosophus* 4. Pol. 2. quibus & mixtam malam adjunge.

Tb. IX.

Reipublicæ divisionibus enarratis ac quantum fieri potuit etiam explicatis sequitur nunc in ordine Respubl. specierum enumeratio. In hac enumeratione non sequimur *Baurmeisterum*, qui duas tantum species constituit *μοναρχίαν* & *πολιτείαν* nec Platonem, qui duas quasi matres ex quibus cæteræ originem ducerent excogitavit, sed cum *Aristotele* 4. Pol. 2. sex Respubl. species adferemus easdemque brevissimè explicabimus. Quia autem id natura prius quod melius est & perfectius ut inquit *Philosophus*, idcirco nobis primò de tribus rectis ut Monarchia, Aristocratia & Politia, tanquam naturâ perfectioribus sermo erit, deinde & de Tyrannide, Oligarchia & Democratia tanquam naturâ minus perfectis pro virili tractabimus.

Tb. X.



Tb. X.

Priusquam autem dicimus quid sit Monarchia, quaestio nobis oritur quæ nempe Respublic. sit omnium aliarum perfectissima, simplicissima & origine prima. Monarchiæ sive regni exortum ante cæteras Respubl. Aristoteles talibus probat verbis: In domibus, inquit, privatis primùm dominabatur pater, postea ex liberis & natis natorum propagabantur gentes, oriebantur pagi, in quibus de consuetudine domestica pristinam erga nepotes suos reverentiam ac auctoritatem obtinebat grandævus pater, donec sensim ad civitates processum fuit, & mutata multitudine parentium, imperium quoque domesticum mutatum in publicum, paternum in regium *1. Pol. 1.* Est etiam regnū antiquissimum teste præter Philosophum *Justino l. 1. cap. 1. §. 1.* quando dicit: Principio rerum nationumque imperium penes reges erat. Deinde Regnum seu Monarchiam esse simplicissimam ac perfectissimam, non solum Historici & Politici, sed & Theologi & Jcti afferunt. Ex Theologis sunt *Athanasius in orat. adversus Idola. Hieronymus in epist. ad Rustic. tom. 1. ep. 4. Justinus in paranet. alii.* Ex Jctis præcipuus est *Bartolus*, qui regendi modum per unum dicit optimum *Corasius in l. 2. §. Novissimè 11. de O. j. Antonius August. tit. de ll. Rom. §. sexcenti alii.* Ex Philosophis sunt *Plato in Polit. §. Aristot. qui lib. 3. de part. an. cap. 4.* in hæc verba erumpit: Ut præstat Monarchia inter Respubl. ita in homine dominatur unum membrum principale & rursus *l. 8. Et b. c. 10.* Optima specierum & Monarchia, pessima Democratia. Item *Seneca 2. de benef. cap. 20.* Optimus civitatis status sub rege justo. *Homerus 2. Iliad. Maxim. Tyrius*



orat. 3. Si quoque porro in Republ. concordia utilitatem communem maximè promoveat, in multorum verò regimine non reperiatur illa facilè, cum sit potentia in plures effusa, ut quod unus suadet, alter aut invidia aut inanis gloriæ cupiditate abrogare conetur, in regno verò seu Monarchia nemo à se ipso dissentiat, quis dubitat, ideò non solùm aliis æquandum verùm etiam præferendum esse regnum.

Tb. XI.

Ex his igitur jam dictis talis formari potest Monarchiæ definitio: Monarchia est Republica, in qua gubernantur omnia imperio unius, penes quam residet suprema, libera & legitima potestas, indeque in omnes Respubl. partes tanquam à fonte in canales derivatur, *Arriæus in tractat. suo de Monarchia sect. 3.* Vocatur Monarchia primò Republica, quia est ordo civitatis, quæ vox in definitione generis vicem sustinet: Additur porro, in qua gubernantur omnia, quibus verbis significatur, potestatem in Monarchia non esse limitatam & subordinatam ita ut aliquæ potestates sint penes Monarcham, aliqua verò penes subditos, sed esse supremam, liberam & legitimam potestatem penes unum quippe in qua etiam consistit formalis ratio Monarchiæ, eaque à reliquis Reipublic. speciebus distinguitur & Tyrannidi opponitur. Distinguitur enim ergò à reliquis speciebus Reipub. quod in hac omnia ab uno tanquam principio dependant. Opponitur Tyrannidi, quod in Monarchia unus imperet legitimè, in Tyrannide illegitimè ab uno regnetur.

Tb. XII.

Sciendum h. l. præterea est, nos, cum Monarchiam &



am & Regnum promiscuè sumimus non loqui de illo regno, quod rursus dividitur in sua genera, cujus primum olim dicebatur Laconicum cum domi summa rerum potestas non erat penes Reges, sed si in bello duces & Imperatores exercitui præficiiebantur, secundum Barbaricum, quod Tyrannidi non erat absimile, à quo tamen differebat, quod & legi erat consentaneum & patrio more omnia in eo gerebantur. Tertium regni genus vocabatur Æsymnetia, cum eligeretur quidem à populo quasi Tyrannis, qui Magistratum interdum ad totam vitam, interdum ad certum tempus, interdum certi negotii expediendi causa imperabat. Quintum erat Heroum, quod Heroes gerebant secundum leges acceptum à majoribus & partibus, sed quintum regni genus intelligi volumus, quod verè ac propriè sic appellatur, quando nempe unus administrat Rempubl. in utilitatem communem, quomodo paterfamilias præest omnibus in domo sua viventibus.

Tb. XIII.

Tractandarum specierum legitimum ordinem in fine th. XI. propositum sequentes, nunc Aristocratia naturam & definitionem exponere stat sententia. Refutamus autem in primis *Bodinum qui libr. 2. de Republic. cap. VI.* naturam Aristocratia inde nihil mutari audeat dicere, siue in Republic. optimi, siue flagitiosissimi, siue ditissimi, siue nobilissimi, siue egentissimi siue bellicosissimi summam rerum teneant. Aliud docet etymologia vocabuli, quis enim flagitiosissimum imperium, quod ad perniciem utique paratum est optimum aut optimatum statum interpretari audeat, nisi eadem etiam autoritate omnem Monarchiam Regnum & pessimum



num Tyrannorum Regem vocare velit. Oligarchiam credo *Bodinus* in genere acceptum voluit dicere, ubi non respicitur qualitas Principum sed definitur ex contemptu LL. & lascivo arbitrio, secus seres habet de Aristocratiâ, quam ex vero fine & administratione ad communem utilitatem cognosci fatetur *Plato in politic.*

Ib. XIV.

Definitio Aristocratiæ est ipsius *Philosophi 3. Pol. 7.* ubi dicitur *Αριστοκρατία πολιτεία ἐν ἣ ὀλίγοι πλείονες ἢ ἐνός ἀρχοῦσι, καὶ πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἀποβλέπουσι* h. e. Aristocratiâ est Resp. ubi pauci plures tamen uno summam habent potestatem & ad communem respiciunt utilitatem: Vocatur primò Aristocratiâ Respubl. quia est ordo parentium & Imperantium in civitate. Præterea dicitur ubi pauci plures tamen uno imperant, & hæc verba continent differentiam quandam, qua Aristocratiâ distingvitur primò à cœteris duabus rectis Rerump. formis à Monarchia nempe, ubi unus tantum imperat, & à Politia ubi non penes paucos sed multitudinem seu populum imperium est, deinde & his verbis quoque differt à duabus illis corruptis à Tyrannide nimirum, ubi unus summam habet potestatem & Democratia, in qua multitudo & plebs imperium tenent. Denique & hujus Reipubl. finis in definitione additur, nempe quod ideo sit Aristocratiâ seu bona Reipubl. forma quia non propria sed communis in eâ respiciatur utilitas. Quibus verbis etiam distingvitur à tribus illis corruptis Rerump. formis Tyrannide. Oligarchia & Democratia.

Ib. XV.

Possit hic quis dubitare cum *Bodino* de Aristocratiâ, an detur perfecta, cum sit una ex eorum numero, quæ



quæ fieri aut non possunt, aut si possunt, diu subsistendi vim non habent. Comprobat *Bodinus* primam suam sententiam tali argumento: Optimates vel sorte vel suffragiis civium vel tertio aliquo ex his duobus mixto constituuntur. Sortem porro in ordinandis optimatibus nihil conferre dicit, quippe qui virtuti nunquam adsociatur. Nec suffragia admitti posse contendit, cum licet aliqui intersint viri boni concionibus, qui eligi possunt, majorem tamen numerum semper esse improborum, qui sui similes eligant. Deinde cum non optimates electurum Aristotelem, sed optimatibus potestatem sui similes eligendi daturum esse videret, hac ratione porro instat *Bodinus*, quis tum Reipubl. spondere velit, optimum quemque sui similem potius quam fratrem vel filium cooptaturum, tum, cum boni vix sint totidem quot Thebarum portæ & divitis ostia Nili, quis paucos illos à tantâ improborum multitudine tuerentur. Sed respondet *Arniseus*, hoc modo inquit: si hæc Bodini argumenta vim aliquam habent necessaria conclusionis, eadem litura non Aristocratiam tantum sed & regnum inducet. Is enim Rex est, qui optimè novit Reipubl. præesse, ut *Socratem dixisse fatetur Xenophon libr. 3. de dict. & fact. Socratis*. Ex argumento autem Bodini aut sorte cum duci oportet aut suffragiis eligi, quorum cum neutrum fieri queat, nullum inquam regnum poterit inveniri. Nam si non electio, multò minus successio poterit bonum principem præstare ut supra disputavimus *cap. 2. sect. 4.* aut si successio generis sufficit ad regni dignitatem servandam, cur non sufficeret ad continuandam Aristocratiam? *Arniseus cap. 4. de Arist. & Oligareb. in specie sect. 3.* Interim tamen non negamus

C

gamus



gamus raram esse Aristocratiam, cum ipse *Aristoteles* raritatem ipsius probet hoc simili; sicut non facile reperias Regem aliquem ex amissim perfectum, etiam Aristocratia rara inventu difficilis est. *4. Pol. cap. 7.*

Th. XVI.

Tertia Reipubl. recta spectes, quæ olim ut testatur *Philosophus 8. Eth. 12. προκρατία* à censibus nimirum ita vocata est, Politia seu Respubl. in specie dicitur *3. Pol. 7.* Ibi autem maxime Politiam esse constat, ubi virtus bellica est florentissima. Congruit, inquit *Aristoteles* politici ejusmodi multitudo, in qua populus nascitur bellicus, qui gubernari posset & gubernare secundum ll. & dignitatem distribuens opulentis Magistratus *3. Pol. cap. 17.* Convenit in hac πολιτεία maximè distinctos esse ordines tum nobilium, sive prærogativam illam nacti sunt in virtute, divitiis aut familiâ, tum plebejorum ita ut non singuli sed ex quolibet ordine, qui ad clavum Reipubl. sedent ad deliberationes admittantur ipsorumq; sententia exaudiatur. Magistratus ideò communes creari in politia necesse est, qui prudentia eorum, quos *Aristoteles 4. Pol. 11. & 12.* medios vocat, concordiam servent, cum aliàs maxima inter nobiles & plebejos exoriatur discordia.

Th. XVII.

Est autem Politia secundum *Aristotelem 2. Pol. 3. ὅταν τὸ πλῆθος πολιτεύηται πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον*, i. e. Politia est Respubl. ubi multitudo seu populus summam habet potestatem & ad communem respicit utilitatem. Genus in definitione est Respubl., quod ideò additur quia Politia etiam est ordo civitatis ut cæteræ Respubl. Dicitur porro esse Rempubl. ubi multitudo seu populus impe-

imperet, quibus verbis Politia potissimum distinguitur ab Aristocratia, in qua pauci imperium tenent, deinde etiam à Monarchia & Tyrannide ubi penes unum, Oligarchia ubi penes paucos & denique Democratia, ubi penes omnes summa rerum potestas resedet. Ultima verba in definitione afferunt quandam differentiam ex fine petitam, quo politia à tribus corruptis Reipubl. forma discerneretur.

Tb. XVIII.

Diximus in præcedenti paragrapho Politiam distinguere à Democratia ideò quia in Politia multitudo seu populus, in Democratia verò multitudo seu plebs imperet. Et posset aliquis objicere, nullo modo verba illa inter se opponi rerumque differentiam exponere. verum huic damus id respòsi, licet vocabulum multitudo in utraque definitione positum tam posset dici de plebe quàm de populo, nihilominus tamen populum & plebem unum quid non esse. Populi enim nomine universi cives Patricii, & Senatoribus connumeratis significantur. Plebis verò nomine cæteri cives sine Senatoribus, & Patriciis denotantur ut traditur §. 4. 1. de *jur. natur. gentium & civili.*

Tb. XIX.

Explicatis pro ingenii viribus tribus rectis Reipubl. speciebus, nunc quoque de tribus corruptis quædam in medium adducere propositi nostri ratio postulat. Est autem inter eas formas corruptas omnium pessima Tyrannis teste Aristotele 3. *pol. cap. 7.* qua de causa Tyrannidem in eo tractatu, ubi de Reipubl. agit, ultimo loco ponit 1. 4. *pol. cap. 8. & cap. 10.* Nos verò quo ordine re-ctas tractavimus Respublicas, eo etiam & corruptas ex-



plicare animus est. Nomen Tyrannidis est unum
ex vocabulis illis, quæ abusu hominum in deterius red-
dita sunt. Tyranni enim olim teste *Æmil. probo in*
Miltiade dicebantur, qui perpetua potestate erant in ea
civitate, quæ libertate utebatur, sic sumitur vox Tyran-
nus apud Virgilium:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Hodiè verò Tyrannus est qui pessimè Rempubl admini-
strat, seu qui libidine in civium perniciem abutitur. Non
autem quælibet vitia Tyrannum faciunt sed tantum pu-
blica, privata enim nisi cum Reipubl. damno conjuncta
sunt, Tyrannum minimè constituunt.

Tb. XX.

Definitur ab Aristotele Tyrannis, quod sit *μοναρχία*
πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τῆς μοναρχίας, i.e. Monarchia seu Re-
ipubl. ubi unus summam habet potestatem, & ad suam
unicè respicit utilitatem. Vocatur primò Tyrannis Mo-
narchiæ sunt, quâ in re cum regno & dominatu, quæ et-
iam Monarchiæ sint, convenit. Deinde dicitur Resp. quia
nihilominus quàm recta aliqua Respubl. est Imperan-
tium & parentium ordo. Additur porrò ubi unus sum-
mam habet potestatem in pares nempe & in meliores.
Finis in definitione est quæstus proprius & detrimentum
publicum, Aristoteles enim Tyrannum sic agere dicit,
ut cives inter se inimicitias ac discordiam alant, idem
quoque notat, Tyrannum præcipuè operam dare,
ut cives humilia statuunt, hoc est, ut humili & abjecto
animo sint, ita enim futurum, ut nihil alti contra ipsum
sint molituri.

Tb. XXI.

Poterat de Tyrannide adhuc aliquid moneri, sed
quia



quia chartæ angustia aliud vult, idcirco etiam in subsequen-
tibus duabus corruptis Rebuspubl. aliquanto bre-
viores erimus. Vocantur autem hæ duæ reliquæ
corruptæ Respubl. Oligarchia & Democratia. Oli-
garchiam quod attinet, illud certum est, non virtutem
sed divitias maximam & genus in ea spectari, nec ullos
rerum peritos ad gubernationem vocari nisi per acci-
dens, quatenus nempe accidit ex nobilibus, opulentis
aut id genus aliis quosdam forte fortuna, quod tamen
aliàs observari non solet, Magistratus eligi, quibus, ut
loquitur *Arnisæus*, de meliore luto pectora finxit Prome-
theus. Opponitur ideò Aristocratia, ubi optimates non
quoad divitias sed virtutem prudentiores multò rebus
gerendis præficiuntur, quæve & transgressio. Aristocra-
tia vocatur *Aristotelis 3. pol. 7. 4. pol. 2. 5. 8. Eth. 12.* verba
Aristotelis sunt: Ex Aristocratia in Oligarchiam fit mu-
tatio vitio Imperantium, qui præter dignitatem res di-
stribuunt, aut omnia aut pleraque bona sibi ipsis reser-
vant, & Magistratui iisdem demandant, divitias pluri-
mi facientes, unde pauci iidemque pravi loco optimo-
rum imperant. Definit cum *Aristoteles* hoc modo: Oli-
garchia ἐστὶ πολιτεία ἐν ἣ ὀλίγοι πλείονες δὲ ἐνὸς ἀρχῆσι καὶ πρὸς
τὸ συμφέρον σφέτερον διαβλέψασαι, hoc est: Oligarchia est
Respubl. ubi pauci plures tamen uno summam habent
potestatem & ad propriam respiciunt utilitatem. Re-
quiritur proinde ut plures uno imperent in Oligarchia
quo ipso à Tyrannide distinguitur sicut Aristocratia à
Regno. Requiritur secundò ut pauci sint, cum autem
paucos imperare debere dicimus, non omnes intelli-
mus, aliàs enim si omnes imperent, non esset amplius
Oligarchia sed Democratia appellanda, requiritur ter-

tiò ut pauci illi habeant summam potestatem, è contra-
rio non erit Respubl. Finis denique propria nempe uti-
litas ostendit esse illam corruptam Reip. formam.

Tb. XXII.

Sextam quoque & ultimam Reipubl. speciem De-
mocratiam nimirum, eâ qua cœteræ absolutæ sunt bre-
vitate tractaturi, ante omnia notas ipsius quibus ab Oli-
garchia distinguitur in medium proferre opus erit. Nec
veram Democratiam notam invenit *Contar. l. 1. de Republ. Venetorum*, cum dicit Rempub. Venetorum esse Demo-
cratiam ideò quia in ea Magistratus forte eligatur,
licet enim fors competat Democratiam, tamen
non soli, competit enim aliis etiam Reipublicæ
speciebus. Sic Romæ olim inter Optimates forte
elgebantur legati, ut testatur *Tacitus l. 4. hist.* Commu-
nissimam autem & veram Democratiam notam Aristo-
teles ponit in libertate *l. 2. pol. cap. 9. l. 4. pol. cap. 8. l. 6. pol. cap. 2.* Notæ præterea externæ, sicut sunt in Oligar-
chia divitiæ, genus, virtus seu disciplina, ita in Demo-
cratia paupertas, generis obscuritas & prava institutio.
Democratia definitur quod sit πολιτεία ἐν ἣ τὸ πλῆθος ἢ ὁ
δημὸς ἄρχει πρὸς τὸ σφέτερον συμφέρον, i. e. Democratia est
Respublica, ubi multitudo seu plebs summam habet
potestatem & ad suam respicit utilitatem, primò itaque
multitudo seu plebs imperare debet, sicut enim in Oli-
garchia pauci ita in Democratia multi esse dicuntur im-
perantes. Per multos porrò hic denotantur non
aliqui sed omnes. Dicitur porrò ut penes illos
multos sit summa potestas indivisim intellige, alias
enim si divisim, non esset appellanda Democratia Res-
publ.

publ. simplex sed mixta. Finis iterum ut in Oligarchia ostendit esse illam corruptam Reipubl. speciem, quia nimirum ibi multitudo imperans propriam utilitatem intendit. Respicitur autem utilitas propria, quando illud quæritur quod pluribus conducit, aliquibus licet injuria fiat.

Th. Ultima.

Enarratis, ac quantum res præsens videtur admittere, reipublicæ speciebus generaliter propositis, tandem ad scopum sc. Rempublicam in specie, hoc est Romano-Germanicam devenimus, exquisituri, ad quam Reipublicæ speciem nostra Respublica Romano-Germanica pertineat. Et sunt, qui solam Aristocratiam, solam Monarchiam, & Monarchiam cum Aristocratiâ nostro imperio adscribunt. Pro Aristocratiâ pugnat *Bodinus 2. de Rep. c. 6.* Sed *Bodinus* vel rerum Germanicarum imperitia vel invidiâ ita scribit. Nec quicquam *Bodinum* juvat *Electo Moguntinus* dicens: Fortitudinem ei (scil. Francisco Galliarum Regi) tribuunt, nobis autem (scil. Germanis) imprimis Aristocratiâ retinenda est. Pro Monarchiâ latè disputat *Reinking in novissima edit. Tr. de Reg. S. & E. cl. 2. c. 2.* Illi se opponit *Limneus de Jure publ. lib. 1. c. 10.* & concludit statum nostrum Romano-Germanicum esse mixtum, partim ex Monarchiâ, partim ex Aristocratiâ quæ etiam nostra est sententia. sed non leve dubium occurrit, an in Republicâ Romano-Germanicâ præponderet Aristocratiâ an Monarchia? prius statuit *Limneus d. c. n. 12.* posteriùs *Carpzovius Comment. ad L. Reg. c. 13. sect. 9.* Ita putarem salvâ aliorum sententiâ nostram Rempublicam Romano-Germanicam ex Aristocratiâ & Monarchiâ ita esse mixtam & temperatam,
ut



ut neutra harum specierum præponderet. Nunc ac-
quiesco, alia plura relinquens illis, quibus de meliore
luto finxit præcordia Titan.

SOLI DEO GLORIA.



Eximio Dn. Leesl.

HÆc propriâ composita manu Respublica prodit
Ingenium felix; Perge alacris stadium
Metiri Aonium cursu, sic Jure Brabeuta
Despondet capiti præmia summa Tuo.

Autori hujus Disputat. gmt.

P R Æ S E S:

Pertentent alii versutâ fraude tenere
Imperii fasces, alii prædivitis auro
Pactoli penetrent aulas & limina regum;
Mille modis alii mundo inclarescere sudent:
Sed, Tibi, mi Fautor, cum sit Respublica cura,
Illecebris Bacchi spectis dulciq; Voluptâ,
Ad rerum clavum virtutis munere dives
Contendis, certè conscendes culmen honoris.

Amicâ manu deproperabat

M. Johannes Wilhelmus Marckerstedt.

F I N I S.



A 54567

ULB Halle 3
003 637 700



f
sb.

12

VD 17




... extra
... omni
... ab
... fides
... no ob
... p aut
... biles sunt
... spalis
... plone h
... effori ipo
... glo. in auf
... de q lra
... cessum
... in aut
... hactre au
... glo. in auf
... de q lra
... cessum
... in aut
... hactre au

... tils
... sicut
... mutati
... rogat
... ter suos
... videt
... eul
... in epm
... foro
... si ver
... sua
... agi
... ruit
... et
... in
... glo
... de
... glo
... de
... glo

... et fugiat
... in
... in
... in

XXV





40

Q. D. B. V.
DISPUTATIO
JURIDICO-POLITICA

De
REPUBLICA
IN GENERE ET IN
SPECIE CONSI-
DERATA.

Quam
D. T. O. M. A.
Autoritate & Consensu
*Magnifici ac Nobilissimi Jctorum ordinis in flo-
rentissima LL. nutrice Salana*

PRÆSIDE
VIRO

Amplissimo, Consultissimo atque Excellentissimo
DN. JOHAN - VOLK. Bechman/
J. U. DOCTORE in Academia Jenensi celeberrimo,
Patrono ac Præceptore summo honoris & observantiæ cultu
ætatem prosequendo

Publicæ disquisitioni sistit
JOHANNES CHRISTIANUS LEEST,
Schöningensis Saxo
Autor & Respondens.

In Auditorio Jctorum
Ad d. Januarii horis consvetis.

J E N Æ.
è Typographèo JOHANNIS NISII
Anno M DC LIV.

